



55-40

DECANUS,
SENIOR ET
COETERI DOCTO-
RES COLLEGII THE-
OLOGICI IN ELECTO-
RALI ACADEMIA
WITTEBERGENSI,

OMNIBUS LECTURIS
S. P. D.

(1679)

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.





T Parentibus gloriæ est, præ-
claram & nobilem eduxisse so-
bolem, ita Sapientiæ Officinæ in ma-
ximâ honoris numerant parte, eos
finxisse, formasseq; Viros, qui præfici
salubriter Scholis, Ecclesiis ac Rebus-
publ. possint. In horum numero est Clarissimus, Per-
Eximius & Eruditè Doctus DN. NICOLAUS NIEREM-
BERGIUS, olim Civis Academiae nostræ atq; S.S. Theolo-
giæ Cultor solertissimus, nunc *Gymnasi*, quod *Ratisbonæ*
est celeberrimum, & vulgò *Poëticum* dicitur, *Collega* fi-
delissimus. Natus is est KIRCHENLAMIZI, *oppido* fer-
mè in finibus *Vogtlandiæ*, quâ versus Austrum porrigitur,
& non procul ab *Egræ* fluentis originibus à Palatinatu su-
periori, monte Abnoba sive *Pinifero* sejungitur; ceterùm
spectante ad diœcesin Wunsfeldiensem ditionis Culmba-
co-Brandenburgicæ; anno quidem ab hominum genere
restituto MDC XLIXvo (quo & pax aurea conquassatæ bel-
lò tricennali Germaniæ restituta est) die, qui *Hiobo* sacer,
i. e. nono Maji, st. vet. horâ Xmâ vesp. *Patre* MICHAELE
NIEREMBERGIO, *Andrea*, villici in *Schloppen* minori
(vulgò *Hinter-Schloppen*) *Filio*, Cive quondam & inco-
la Kirchenlamizensi, consvetâ dialecto, & per quandam
quasi Anastrophen ibi pervulgatam, etsi *non ab emporio*
illo notissimo, Nürnberger Michl/dicto: *Matre*, ELISA-
BETHA, *Friderici Claseri*, civis Kirchenlamiz. *Filiâ*, ho-
nestissimæ conditionis Parentibus, eodem solo patrio ori-
undis. Die proximo, appetente Vigilia Festi Ascensionis
CHRISTI, Sacro Baptismatis fonte ablutus idem, eoq;

Ecclesiae Christi initiatus ministerio Reverendi Dn. *Nicolai Clarneri*, Diaconi ibid., arbitro initiationis *Nicolao Lang*/ adhuc superstite, quem non ita pridem praesens salutavit senem integerrimum. A puero in primis usus Praeceptore in pietate, literis ac Musicis viro optimo, Dn. *Michaële Müllero*, in patria quondam Cantore & Organico. Posteaquam Anno MDC LIIIX, Mense Octobri praematturo, communi tamen atq; adeo inevitabili fato ereptus *Parens*; & verò ingenium discendis literis aptum in adolescentulo deprehendisset Vir Multum - Reverendus Dn. M. Frid. Roeslerus; atq; interea *Matri*, ut liberalibus studiis manciparet orphanum, cum Scholae Moderatoribus auctor fuisset, simul & Viro Plur. Rever. Dn. M. CASP. CONR. SAHERO, Ecclesiae Wunsidel. Pastori & Vicinarum Superintendenti, qui quidem paulò post diem supremum obiit, rectè commendasset; factum, DEO clementer juvante, ut annò proximò M. DC. LIX. mens. itid. Octobri, in Alumnorum Wunsideliens. numerum auspiciatò reciperetur; in quo loco *sex*; & quod excurrit annos, perstitit, hospitio posterioribus annis exceptus, nec sine institutione, à Viro Humanissimo, Dn. *Michaële Martio*, Collega Scholae ibid. non incelebris Tertio & Organico. Adolevit autem ibi in literis humanioribus sub moderamine DN. *Joh. Theodori Fischeber*, mox Dn. *Daniel. Mezgeri*; quorum uterq; tum Cantoris, hodiè Diaconi, hic quidem in Ecclesia Leucopolitana; Ille in Thiersheimensi, munere perfunguntur: dehinc CL. Dn. Venceslai *Erdreich*/ JCTI è Bohemià exulis, Rectoris Scholae Wunsidel.: demùm, & potissimùm quidem, Nobilissimi & longè Doctissimi Viri, qui defuncto illi successus, DN. JOSEPH-FRIDERICI HEUSINGERI, à Waldegg, posthac Archidiaconi Wunsidel. & Venerandi Capituli Camerarii, nuperrimè designati Pastoris ac

Super-

Superintend. Curienfis, sive Curiaë Variscorum. Quo
 moderante Annò MDC LXVI. d. 14. Febr. *Serenissimæ*
Principis Culmbaco - Brandenburgiaca, ERDMUTH-SO-
 PHIAE *Natales* Heroico carmine in publicâ panegyri cele-
 bravit: porrò *declamationem* habuit de rerum mundana-
 rum studio contemnendo. Deniq; eodem anno d. 9. Ma-
 ji sub discessum iterum publicè verba fecit de vitæ aternæ
 præmiis, simul & decentes pro acceptis beneficiis egit gra-
 tias. Tum luculentò ornatus de se optimè meriti Dn.
Heusingeri testimoniò RATISPONAM venit d. 13. Maji,
 quò ipsò liberali statim hospitio excepit advenientem, fu-
 turum quippe optimæ spei filiolorum paris Præceptorem
 domesticum, Vir Magnif. Excellentiss. atq; Consultiss. DN.
 JOH GEORG. GEIERUS U. J. D. Reipubl. Lib. Ratispon.
 t. t. Consiliarius, Venerandi ibid. Consistorii Assessor, mox
 & Scholarcha, ac deputatus ad Comitua. Postea verò ab
 Anno M. DC. LXXII. Mense Jun. Sereniss. ac Potentissimi
 Electoris Palatini Consiliarius Aulicus Heidelbergæ *vũv cu*
ayiois Eò Præceptoris domestici munere defungebatur d.
 3 Febr. Anno 1668. quò à Dn. D. GEIERO, magnò Patro-
 nò, ipsoq; Gymnasii Rectore, singulari Fautore suo, tan-
 quam futurus Theologiae cultor commendatus novum
 colere hospitium ac Pædagogum ocepit agere apud Vi-
 rum Admodum Reverend. & Clariss. Dn. M. *Christoph. Si-*
gism. Donaverum, Orthodoxæ Ecclesiae Ratispon. Mini-
 strum. Dimiserat paulò antè, quàm ultimùm salutaret
 Wunsideliam, *Locum Ratisbonæ quæsiturum* Vir Plur. Reve-
 rendus, Prænobilis & Excellentiss. DN. JOH. HEUSINGE-
 RUS à Waldegg, Primarius quondam Eccles. Wunsidel. Pa-
 stor & vicinarum Superintendens p. m. cum literis com-
 mendatitiis ad Præclariss. DN. M. *Joh. Christoph. Widerum*,
 Gymn. Ratisb. Poëtici *Rectorem* meritissimum, Hujus pro-

inde Lectiones avidus discendi, nec sine fructu, frequentavit, non neglectis *CL. Hieron. Radii*, Con-Rectoris fideliss. in Virgil. & Offic. Cic. explicationibus; dum Anno M DC LXVII, die X. Octobr. suas ex Incltyti SENATUS & Magnif. DNN. SCHOLARCHARUM instituto Recitationes in Auditorio publico ordiretur Vir Præcellentissimus DN. M. SEBAST. KIRCHMAJER, *Professor Publ.* antehac in Academia hac Amplissimi Ordinis Philosoph. Adjunctus, cui se multum debere profiteretur. Sub hujus moderamine, Deo gratiam adspirante, ultiores in Linguis & bonis artibus profectus subinde faciens eodem anno M DC LXVII, die XI. Decembr. *Laudes lingue* Oratione publicâ proposuit. Anno M DC LXVIII, die 22. Januar. Præside laudatô Dn. Professore, *Theses de Theologiâ in genere* publicè respondendo asseruit. Anno eodem die X. April, publicè Orationem habuit sub *persona Romuli*: iterum die IX. Octobr. *Michaëlis Archangelicum Dracone prælium* Græcô carmine Heroicô publicè recensuit; die autem 30. Decembr. *de Natali Dominico* è Cathedrâ publicâ disseruit. Anno M DC LXIX die 15. April. Orationem habuit *Hebraicè* conscriptam *de Gloriosa Christi Resurrectione*. Intereâ quoties occasio tulit, in Templis præsertim, alacrem se, quòd modulatâ consonantiâ articulatam vocem animare nosset, *Choro Musico* parastaten præbuit. Hinc magis magisq; commendatus tandem, accuratâ quadam Dei immortalis providentiâ & benignitate singulari, post preces supplices, intercedente in primis Sereniss. Principis ac DOMINI, DN. CHRISTIANI ERNESTI March. Brand. &c. &c. Domini sui Clementissimi ad Comitata Ratisbon. quondam *Legato* splendidiss. VIRO ILLUSTRIS, CAROLO à STEIN, Domino in Entmansberg, Rupperts, Ost- & Northeim, Sereniss. Principi suo à Consiliis intimis, *Cancellario*, Judicii Aulici Præsidi, &c.

b.m.

b. m. repetitas ab Illustr. ac Lib. S. R. I. Reipubl. Ratisb. SENATU *Inclyto*, cum venerabile Consistorium in studiorum profectus more solito, i. e. diligentius inquisivisset, die 22. Sept. ejusdem anni, in numerum Beneficiariorum Academicorum benignissime receptus est. Tum habitâ die 24. Septembr. Oratione valedictoriâ, optatò discessit *Ratisbonâ*, & *Wittebergam* venit, cum haud vulgari laudati Dn. Professoris *Kirchmajeri* ad Celeberrimum Eloqv. hîc Prof. Publ. DN. GEORG. CASP. KIRCHMAJERUM, Fratrem germanum, commendatione. Ibi, Decano Facult. Philosoph. famigeratissimo Philologo, DN. ANDR. SENNERTO post consuetos Depositionis & Absolutionis ritus, Anno M DC LXIX. die 2. Octobr. nomen ipsius in Album literariâ Reipubl. adscriptum, Rectoris Magnifici munus obeunte Virò Nobilissimò & Consultissimò DN. WERNERO THEODORO MARTINI, J. U. D. & Pandect. P. P. Sereniss. Elector. Saxon. Consiliariò & c. Collegâ nostrò honoratissimò. Permansit autem civis Academicus hîc *quinq; continuos annos cum Semestri, munificentia Illustris Magistratûs Ratisbon.* nunquam satis deprædicandâ sustentatus. Quod quidem tempus quemadmodum traduxerit, ex sequentibus constabit, quæ ad *vitam & studia* pertinent, jam attingendis.

INCLYTO MAGISTRATUI, cui beneficiis obnoxius, *Studium Theologiae* debuit. Ut ergò sublime illud sacrarum literarum studium dignè ordiretur, ac cum fructu continuaret; *os prius linguis necessariis* (inter quas Lat. Græca, Hebraica, usu principes) expolire, *pectus disciplinis* artium instruere, atq; ad eò *Theologiam*, majorum gentium magistros secutus, Philosophiæ ac eruditionis cujusdâ velut septò munire visum est. Eò consiliò, quæ antehac formaverat, magis magisq; hîc exegit atq; perpolivit. Præsertim quòd tantorû *Patronorum benignitate* adjuto nec aliquam temporis partem

tem

tem aliis venditare, nec vitam famulitiô tolerare necesse es-
set. Quod ad PHILOLOGIAM OCCIDENTALEM perti-
net, in *Literaturâ* quidem *Latinâ* strenuè audivit Excellen-
tiss. DN. GEORG. CASP. KIRCHMAJER: Eloqv. P. P. priva-
tim & publicè. Ibi de orationibus conscribendis cum usu;
hic in Suetonium, in Ciceron. itemq; de Panegyricis, de O-
ratore Civili & Ecclesiast. recitantem. Interfuit quoq; An.
1670. privatis de stylo recitationibus Viri Ampliss. DN.
CONR. SAMUEL. SCHURTZFLEISCH. In Græcâ, Virum
Celeberr. DN. BALTHAS. STOLBERGIUM Græc. L. P. P.
privatim de Græcis Scriptoribus, publicè in Epistolas ali-
qvot Paulinas, nec non de Barbarismis & Solæcismis N. T.
fictis differentem cum curâ auscultavit. Circa PHILOLO-
GIAM ORIENTALEM in Linguis, Hebræâ, Chaldæâ, Syria-
câ, Samaritanâ & Arabicâ usus est privatâ institutione Præ-
cellentis DN. M. Job. Wilh. Hilligeri, Facult. Philos. quondam
Adj., nunc in Ecclesia Patria Chemnicensi Diaconi. De u-
traq; Hebræorum accentuatione, ut & de Antiquitatibus He-
braicis publicè agentem Excell. DN. M. AUGUST. PFEIF-
FERUM, t. t. LL. OO. Prof. Extraord. cupidè amplexus est: nec
minùs Virum Excell. & Ampliss. Dn. ANDR. SENNERTUM,
Prof. Ord. in Canticum Cantic. Commentationes publicè
tradentem. In Rabbinicis Ducem secutus est Virum in eâ li-
teraturâ exercitatissimum DN. M. THEOD. DASSOVIUM,
Hamburgensem, hodiè Prof. Publ. cum Michlal Jophi, non-
nullos in Bibl. Rabb. Buxtorf. Commentatores, itemq; A-
barbinelem privatâ industriâ explicaret.

PHILOSOPHICIS quoq; non nihil temporis tribuit. Si-
quidem in *Logicis* Lectiones privatas laudati Dn. G. Casp.
Kirchmajeri, publicas B. Christiani Trentsch, Log. & Metaph.
P. P. hujusq; Successoris Ampliss. Dn. M. Christiani Donati:
In Metaphysicis Præclariss. Dn. M. Job. Briesemann privatim.
In E -

In Ethicis ac seorsum *studio Moralistico* Virum Excell. Dn. C. Sam. Schurtz fleisch. eo tempore Fac. Phil. Adj. hodiè Hist. P. P. In Physicis Præcellentiss. Dn. M. Theod. Kirchmajer t. t. Fac. Phil. Adj., item Præclar. Dn. M. Adam. Purpium, cum Collegium aliquod Anthropologico-Anatomicum privatim institueret. In *Mathematicis* CL. quondam Virum, M. Job. Priester/Francum, Ord. Phil. Adj. p. m. de Mathesi generali, Arithmetica, Geometria, Astronomia, Astrologia, Chronologia privatos intra parietes agentem, sedulus audivit, & pleraq; calamò excepit.

Sed & in HISTORICIS non temnendam industriam locavit. Enimverò circa *Historiam profanam ac civilem* Excell. DN. C. S. SCHURTZFLEISCH, Viri in Historicis versatissimi Prælectiones in *Job. Sleidanum* à Dn. D. ÆGIDIO STRAUCHIO continuatum privatas; de Historia verò Germanica & Originibus Saxonibus publicas sedulò frequentavit. Circa *Sacram & Ecclesiasticam* Excellentiss. Dn. Georg. Green/Hist. P. P. hodiè Concionatoris Aulici Dresd. recitationibus privatis, quibus quid à N. C. ad Nostra usq; tempora in Ecclesia potissimum in Reformationis negotio, gestum sit, prolixiusculè exposuit, constans interfuit. Quò refert recitationem ejusdem publicam de *Quadragesimis*.

In *sacro & sublimi THEOLOGIÆ studio* ante omnia fidem, industriam & dexteritatem *Doctoribus Theologis* in hac Academia probatum ivit. Eaq; de causà temporè prælibare voluit THEOLOGIAM (I) *Theticam, Acroamaticam, & Didacticam*. Et quidem commodum aperiebat Anno 1670. scholam Theologicam DN. D. JOHAN. MEISNERUS, ubi differendo ac disputando suum ipsius Compendium Theologiæ explicatum dabat. Accedebant Lectiones ac Dispp. privatae DN. D. JOH. ANDR. QVENSTEDII, accommodatae quidè illæ ad D. Königii Theologiam Positivo-Acroamaticam. Dehinc tractavit (II) *Antitheticam* s. Polemicam, sedulus Auditor cum DN. D. ABRAHAM CALOVIUS, Theol. Prof. Primarius Collegium Didactico-Exegetico-Polemicum in Synopsin suam controversiarum explicando & disputando priva-

B

tim

tim institueret. Quà fini Collegium etiam Lectorio-Disputatorium DN.D. JOH. DEUTSCHMANNI in Formulæ Concordiæ Epitomen Controversiarum & hujus quidem Repetitionem à se editam, diligenter frequentavit. Porro (III) in *Exegetica* quoque Theologia proficiendi occasionem dari magnoperè lætatus est, attentus mox & assiduus Auditor NICOLAUS noster NIEREMBERGIUS, cum Dn. D. JOH. ANDR. QVENSTEDT *Observationes* in Loca V. ac N. Test. illustriora & difficiliora *Exegeticas* privatim suppeditaret. Eò referebat etiam Lectiones Ejusdem publicas in Esaiam. Quòd (IV) in *Casuali* etiam nonnihil percipere contigerit, Dn. D. JOH. MEISNERI Lectionibus de S. Cœna, item de Matrimonio publicis acceptum refert. Insuper (V.) *Homileticam* excolere, in primis è re futurum judicavit. Nec egregii in hoc genere Magistri ipsi defuerunt. Instituerunt sacra ejusmodi exercitia in Articulos Fidei Dn. D. Job. Andr. Quenstedt, præmissâ B. D. HULSEMANNI de Methodo Concionandi explicatione: in Dicta Evang. & Epist. Dn. D. Job. Deutschmann breves Oraculorum dispositiones communicando: in Pericopas Epistolicas Dn. Georg Green jam Concionator Aulicus Dresd. postquam præcepta attulisset, queis Sacros Textus tractandi & disponendi rationem edoceret Auditores. Simile institutum, explicato B. Parentis Dn. D. Job. Bened. Carpzovii *Hodegetico*, servaturus erat circa *Pericopas Evangelicas* Excell. Dn. Sam. Bened. Carpzovius P.P. nisi à Sereniss. Electore Sax. ad Conciones Aulicas vocatus fuisset. Singulis hisce interfuit Noster, & cum reliquis AA. exercitia homiletica, Moderatoribus præsertim ac rogatis Censoribus, Dn. D. Quenstedt, & Dn. Green in Templo ad Arcem Academico habuit. Cumq; antea sæpius extra urbem, præsertim *Schmilkendorfi*, ejusmodi exercitia instituisset, locum tandem in Templo Academico ordinarium meruit. Etenim consensu Dn. Præpositi, cum aliis quinq; ibidem Collegis industriam habendis ad populum concionibus sæpiusculè periclitatus, animum ac profectus in *Ecclesiæ Christianæ Ministerium* magis magisq; formavit; atq; ad judicii veri q; normam

mam firmare annisus est, aliquoties publicè, sæpius privatim Opponentis ac Respondentis munus obeundo. *Primum* autem, quod hîc publicè edidit, profectuum specimen, depromptum erat ex *Historicis*, ubi Anno M DC LXXI. die IIX. Januar. Historicam de *Inauspicato Liberorum Hamelensium egressu* Dissertationem à se elaboratam sub Præsidio Dn. M. Theod. Kirchmajeri Fac. Phil. Adj. in publico confesfu masculè defendit. *Alterum*, ut de Exercitatione Academica ad Gen. IV. Com. I. in qua in primis de ἀξιωματικῶν νέων παμνησίχας Ἰησοῦν ἄνθρωπον, quò ingenuam de Mesia Θεανθρώπων fidei confessionem edidit, prolixiusculè disquiritur, *Venerando Consistorio Ratisbon.* Anno M DC LXXIII. die 25. Augusti, loco specimenis Philologici, utut in MSC, saltem missâ nil dicamus; desumfit è PHILOGIA, quando Anno M DC LXXIV. die VII. Febr. respondendo Dissertationem Talmudico-Rabbinicam de *Hilcotb* seu *Ritibus Mesusa*, Præside laudatissimo Dn. M. Theod. Dassovio, hodiè P. P. Auctore, Respondentis munere perfungens publicè asseruit. Postremò cum post *quinquennium Academicum* 5^o Semestre, Patronorum monitu Anno M DC LXV. Almam Ratisbonam repetere, ac Illustri ibidem Magistratui, coràm debitâ animi submissione se suaq; studia ulterius commendare statueret, quamprimùm advenisset, C. A. Lenzii, adolescentuli tum novennis formandæ pueritiæ, benevolentissimo Avunculi, Illustr. nempe & Generosiss. Dn. Dn. JO. ALB. PORTNERI à Theuren S. Cæs. Majest. Consilarii Imperio-Aulici, DOMINI sui gratiosi, consensu ac consilio intereà præficiendus: noluit antè Wittebergam nostram postremùm salutare, quàm in sublimi illo sacrarum literarum studio, cui *primariâ* quidem *destinatione operatus* fuerat hucusque, quantos fecisset progressus, publicò etiam specimine testaretur. Appropinquabat tunc *Hebdomas*, ut vocatur, *magna*; depromptò igitur ex Historia Passionis argumentò haud ignobili, *Dissertationem Theologicam* elaboravit de *Deprecatione Calicis CHRISTI*, eamq; sub Præsidio Dn. D. JOH. ANDR. QVENSTEDII, eo temp. Rectoris Magnifici, ceterùm Præceptoris, Hospitis & Patroni sui
ata-

ætatem venerandi, die III. Maji, non sine Auditorii favore, defen-
sum ivit.

Si mores etiam & vitæ bonestatem attendere velimus, testes, si
opus foret haberemus, quasi in re præsentis oculos, qui reliquam
vitæ in Republ. nostra Literariâ transactæ rationem ad studia sic
attemperasse bonâ fide confirmant, ut probitate cuius bono &
docto se probaret. Illud unum candidè affirmare possumus, NIE-
REMBERGIUM nostrum totò eò tempore, quò nobiscum egit,
probitatis, industriæ, modestiæ, & continentiæ ea dedisse documen-
ta, ut exemplum boni civis Academici ipsum aliis commendare,
meritò possumus. Hæc cum ita sint, & Theologiam Noster non in
speciem, sed in usum didicerit, itaq; arripuerit firmiter, ut hoc stu-
diorum genere sibi suisq; aliquando, in primis publico Ecclesiæ
bono, in Dei gloriam commodaret, non dubitavimus in literas fi-
de & autoritate publicâ armatas referre, quâ viâ, quòq; modò ad
illud religionis sacrariû pervasisset NICOL. NIEREMBERGIUS:
quem eo nomine bonis omnibus, præcipuè Maximis, secundum
DEUM *Evergetis* suis ac Patronis in *Inclytâ Ratisbona* de notâ in-
teriore commendatum esse cupimus, Eos officiosè rogantes, ut si
qua promotionis occasio sese obtulerit, ubi Ipsius ad Ecclesiæ ædi-
ficationem usus esse possit, Ejus præ cæteris ratio habeatur. Pater
cœlestis propter unigeniti sui Filii meritum per Spiritûs S. grati-
am dona necessaria Ipsi largâ manu conferre, collata indies auge-
re, atq; ad illum finem dirigere clementer velit, ut se & audientes
æternùm salvos reddat. Ita vovemus! Per scriptum Wittebergæ
sub Sigillo Facultatis Theologiæ d. XVIII. Octobr. qui Academiæ
nostræ natalis est, Anno recuperatæ Gratia MDC LXXIX.

L. S.

94 A 7380

ULB Halle
004 073 428

3




71 DA 17
Juni 1899

71







B.I.G.

Farbkarte #13

574

62

ANUS
NITATIS
PHICÆ ET
ONARUM
IUM
IA LIPSIENSI
D
gisterii Actum
USQVE REIP. ET
S JUVENES
TAT.

I

